

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 8049

**Auteur(s) :** Payen de Sourches, Clinchamp (seigneur)

**Bénéficiaire(s) :** Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1255, avril

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Payen de Sourches, seigneur de Clinchamp, pour mettre fin à un litige entre lui et les religieux de l'abbaye de La Trappe au sujet de l'exercice du droit de justice sur un abergement sis à Origni-le-Butin et des vignes leur appartenant, conclut une transaction avec ladite abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, L. « De Walnoisia », n° XXIX, p. 314-315.

## Dissertation critique

H. de Charensey propose « 13-31 avril 1255 (n. st.) ».

Pâques tombe le 28 mars en 1255 et le 16 avril en 1256. Cet acte est établi ainsi, soit en avril 1255, soit entre les 1-16 avril 1256.

Texte établi d'après a

Omnibus presentes litteras inspecturis, Paganus de Chaorcis, dominus de Clincampo, salutem in Domino. Noveritis quod, cum contentio verteretur inter me, ex una parte, et abbatem et monachos Beate Marie de Trappa, ex altera, super eo quod habere volebam et petebam habere omnimodam justitiam et districtum et viarum et costumas et res alias ad feodalem dominum pertinentes, in herbergamento ipsorum de Origneio le Botin, sicut se possidet cum pressorio et omnibus pertinentiis, et similiter in vineis eorumdem, tandem, de consilio bonorum virorum ac prudentium, compositio facta fuit inter nos in hunc modum, quod volui et concessi libenter et benigne abbatii et monachis supradictis quod ipsi predictum herbergamentum, sicut clauditur de sepibus et sicut se proportionat cum pressorio et suis pertinentiis et cum vineis omnibus supradictis, habeant et teneant et in perpetuum possideant, libere et pacifice et quiete de omnibus rebus prenominati et aliis rebus quibuscumque ad me et heredes meos pertinentibus et ad quoscumque alios quoquo modo, ita quod justiciam aliquam seu districtum vel viarum in predictis herbergamento et pressorio ego aut heredes mei [n]ullatenus poterimus exercere, nisi forte contigerit aliquem latronem vel aliquem homicidam, communi clamore vel delicto patenti persecutos, vel aliquos sese vulnerantes vel verberantes, clamore publico vel patenti delicto similiter insecutos, venire vel fugere ad dictum herbergamentum, refugium requirentes: predicti monachi non poterunt hujuscemodi homines garantire ; immo tenebuntur eosdem malefactores movere ut recedant. Quod si recedere noluerint, ipsos poterimus ibidem capere et extrahere, in eodem loco nichil amplius facientes. Et si contigerit aliquos estraneos, in vineis eorum extra

herbergamentum predictum sitis, sese ad invicem verberare vel vulnerare, ego et mei heredes haberemus ibidem nostram justitiam et eam [possemus] illic exercere, exceptis propriis servientibus dictorum monachorum, qui si in dictis vineis sese ad invicem verberarent, nullam in eisdem possemus justitiam exercere. Si vero aliquis de servientibus eorumdem monachorum forte extra dictum herbergamentum manifestum delictum usque ad effusionem sanguinis fecerit, et qui Iesus fuerit manifeste coram me vel mandato meo querimoniam de illo detulerit serviente, et idem qui forefactum commiserit, monitus a dictis monachis competenter, coram nobis emendare voluerit, sepedicti monachi ipsum amplius in suo servitio non tenebunt. Et, pro ista compositione, ego habui a dictis monachis XXX libras turonensium, de quibus teneo me penitus pro pagato. Ad hec autem omnia et singula tenenda fideliter et servanda et contra omnes omni tempore garantizanda et ab omnibus rebus ad me et heredes meos pertinentibus penitus liberanda, ego astrinxvi me et heredes meos in perpetuum [et] per presentes litteras obligavi, quas prefatis monachis contuli, sigilli mei munimine confirmatas. Et ego, Odelina, domina de Clincampo, uxor dicti Pagani, militis, presentibus litteris sigillum meum apposui, spontanea voluntate, in concessionem et testimonium hujus rei. Actum anno gratie M° CC° L° quinto, mense aprilis.